



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum**

**Heinrich <VIII., England, König>**

**Parisiis, 1562**

Decimvm. Interpretationi quam de scripturis patres concorditer  
reliquerunt, fidem adhibendam esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30233**

## Cap. X.

**H**Aud multo post hæc Lu- I.  
therus cōtrouersiam quan-  
dā agit, an videlicet præ-  
ter scripturas vlla traditio-  
nibus patrum habenda sit  
fides. Quam sanè contro-  
uersiam Rex haudquaquam (vti Lutherus  
fingit) sed Lutherus ipse callidè mouit,  
quò regiis argumentis, quæ fuerant ob a-  
liud institutum in medium allata, posset  
abuti cōmodius. Nam vbi Lutherus duo-  
bus potissimum, hoc est verbo Christi  
pariter & exemplo probare cōtendit Mis-  
sam esse promissionem, Rex vtrumq; plu-  
ribus rationibus atque scripturis confu-  
tans, docet, neque verbum vllum Christi,  
neque exemplum quoduis, solidā eius rei  
præstare probationem. E quibus argu-  
mentis Lutherus quædam decerpit, aliò  
contorquens quàm Rex instituerat, vt fa-  
cilè quiuis lector iudicabit. Cæterū quia  
Lutherus hanc cōtrouersiam introduce-  
rat, ex eo iustissima nobis datur occasio  
iam præstandi quod antè pollicebamur,  
nimirum ostendendi, quòd intellectus E-  
uangelij certius haberi potest ex inter-

Euangelij

*sensus ex  
patrum in-  
terpretati-  
one peten-  
dus est.*

II.

pretatione patrum, & vsu nobis ab eisdem tradito, quàm ex nudis ipsius Euangelij verbis. Simulque patebit non posse ex ipso Euangelio probari missam esse promissionem.

Sed prius illud aggrediamur & doceamus, quòd citra patrù. interpretationem, & vsum nobis ab eisdem traditum, nemo probabit ex ipsis nudis Euangelij verbis sacerdotem quempiam his temporibus veram Christi carnem & sanguinem consecrare. Non quod res hæc iam ambigua sit, sed quòd eius certitudo non tam habeatur ex verbis Euangelij, quàm ex patrum (vt diximus) interpretatione, simul & vsu tanti temporis quem illi posteris reliquerunt.

*Ioan. V. vi-  
cles negat  
Christum con-  
secrasse in  
cæna.*

Principio si quis donauerit (quod tamen V. viclesus prorsus negat) Christum in cæna verè corpus & sanguinem suum ex pane vinoque confecisse, nequaquam ex hoc infertur, quòd vnusquisque sacerdos ita similiter panem in corpus, & vinum in sanguinem permutabit. Nam Christus pleraque fecisse non dubitatur, quæ iam nemo quatiuis aut sanctus aut sapiens fuerit, queat efficere. Quamobrem, nisi fuerit in dictis verbis apertè promissum, quòd

quisquis siue laicus siue sacerdos eandem rem tentauerit, idem effectus sequetur, nulla nobis aderit huius negocij certitudo. Sed eiusmodi nihil in Euangelijis, vt patebit, est pmissum. Sic enim refert Matthæus: Accepit Iesus panem: & quum egisset gratias, fregit ac dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. & accepto poculo gratis actis dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus qui est noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hactenus Matthæus, qui & solus testamēti noui meminit. Neque vllum hic verbum positum est quo probetur, in nostra missa veram fieri carnis & sanguinis Christi presentiam. Nam & si Christus ex pane carnem suam, & ex vino sanguinem effecerit, non ob id consequitur, virtute alicuius verbi hic positi nos quoties id ipsum tentauerimus, idem effecturos.

Matthæus itaq; nihil facit ad huius rei probationem, ac multo minus ad Lutheri commentum, quo contendit ipse Missam esse testamentū nouum, vti saepe diximus. Neque enim scripsit Matthæus: Hic sanguis est testamentum nouum, sed hic est

sanguis testamenti noui.

*Marc. 14.*

Marcus item nihil confert, qui de remissione peccatorum nec verbū quidem faciēs, in cæteris ferme cōsentit Matthæo. Quamobrē nec ille aut huic instituto aut Lutheri figmēto conducit quicquam. Sed Lucas (inquit) & Paulus rem satis aperiuunt. Istud iam excutiamus. Primum, hi nil omnino de remissione peccatorum loquuntur. Quare & dilucidum est, quantum ad promissam remissionem peccatorum attinet, nihil eos iuuare Lutherum. Quamobrem & clarissimum est, non posse Lutherum ex toto Euangelio probare,

*Anthypophora.*

*Luca. 22.*

*1. Cor. 11.*

Missam esse promissionē remissionis peccatorum. Sed dicet: Ex Luca pariter & ex Paulo manifestè colligitur, sacerdos ex pane simul & vino carnem ac sanguinem Christi conficere. Nam vterque narrat dixisse Christum, Hoc facite in mei memoriam. At istud apud eum, qui nihil præter scripturas admittit, neuiquam probabit institutum. Nam vt largiamur Christum apostolis dixisse, non propterea cōsequitur quòd omnibus eorum posteris eandē

*Math. 10.*

*Marc. 3. 6.*

tradiderit potestatem. Nam & illis data fuit potestas eiiciendi dæmones, morbos-

que curandi, quæ iam in illorum vicarios  
haudquaquam competit.

Adde, quòd in Evangelio nonnulla le- III.  
guntur apostolis dicta, quæ non conue-  
niant omnibus, cuiusmodi & istud est: In *Matth. 10.*  
viam gentium ne abieritis. Quoniam igitur  
illud nusquam in toto legatur Euan-  
gelio promissum, iam planè deest quo p-  
bemus, quicquid in cœna dictū erat apo-  
stolis, id etiam cunctis eorum posteris  
fuisse dictum. Quòd si nequeat hoc de vi-  
cariis apostolorū comprobari, multo mi-  
nus id de quouis alio Christiano conuin-  
ci possit, quum & apostolis & eorum vi-  
cariis multa fuerant tradita, quæ non ad  
omnes pertineant Christianos. Non po-  
test igitur per vllam scripturam probari,  
quòd aut laicus aut sacerdos quoties id  
negotij tentauerit, pari modo cōficiet ex  
pane vinoque Christi corpus & sangui-  
nem, atque Christus ipse confecit, quum  
nec istud in scripturis contingatur.

Ex iis (opinor) nemo non intelligit, *Cōsecratio-*  
huius rei certitudinem, non tam ex Euan- *nis fides ex*  
gelio pendere, quàm ex usu & consuetu- *priscoris pē*  
dine quæ per tot secula nobis ab ipsis pri- *det erud-*  
mis patribus commēdata est. Sic enim ip- *tionē.*

sis, docente spiritu sancto, visum fuit hanc Evangelij partem nobis interpretari. Sicque suis temporibus utendam arbitrati sunt: ut iam quisquis aut alium sensum aut usum velit introducere, is omnino repugnabit spiritui sancto, cuius instinctu priores patres hunc ritum & cæremoniam in Eucharistiæ consecratione tradiderunt. Nam persuasissimum esse potest ei qui nõ ignorat euangelium, spiritum sanctum (qui datus est ecclesiæ perpetuo instructor) nõquam in re tanti ponderis fuisse passum ipsam errare tanto & tam prolixo temporum successu.

IIII.

*Magis fidendum est consuetudini probate quam nudis euangelij verbis.*

Cæterum ut confirmetur illud quod diximus, nempe maiorem habendam esse fidem vsui diuturno, quem à primis ipsis patribus ecclesia certo traditum confidit, quàm nudis ipsius Evangelij verbis, adiciam exemplum aliud. In verbis Evangelij quæ supra recensuimus, duo sunt dumtaxat, nempe factum Christi, & mādatum de sic faciendo. Ego verò iam alia verba Christi producam, in quibus præter factum & mādatum adicitur & tertium, nempe promissio, nec tamen his diebus ullus ex eis effectus sequitur. Proferam inquam

inquam ex Euāgelio quiddam, quod olim  
 Christus ipse fecit, quemadmodum & il-  
 lud consecrationis opus Euangelistæ re-  
 ferunt fecisse Christum. Deinde quòd &  
 idem opus apostolis iubebat facere, quē-  
 admodum & Lucas & Paulus illic docēt  
 mandasse Christum vt ita facerent. Deni-  
 que præter hæc in eisdem verbis ostēdam  
 promississe Christum, vt effectus ex cona-  
 mine futurorum Christianorum palam  
 sequeretur. Id quod in cœnæ dominicę  
 verbis nusquā scribitur **CHRISTVM**  
 fuisse pollicitum. Et quanquam hæc o-  
 mnia tradita sint in Euangelio, & vnus  
 effectus gratia, nunquam tamen his die-  
 bus aut quā rarissimè talis euenit esse-  
 ctus. At video præstolaris lector quid-  
 nam exempli sim productur<sup>9</sup>. Accipe quid  
 id sit. docent Euangelia Christum eiecisse  
 dæmones, illuminasse cæcos, & grotos sa-  
 nasse. Ecce factum. Apostolis insuper mā-  
 dasse, quatenus ipsi facerent eadem opera.  
 Sic enim Lucas scribit: Conuocatis autem  
 Iesus duodecim, dedit illis potestatem &  
 auctoritatem super omnia dæmonia, & vt  
 morbos sinarent. Ecce iussum. Iubetur e-  
 nim apostolis vt similia faciant. Datur

Z

*Miracula  
 Christus fe-  
 cit, quæ &  
 apostolis fa-  
 ciēda com-  
 misit, cum  
 certitudine  
 effectus.*

*Luce. 22.*

*1. Cor. 11.*

*Luce. 9.*



*Marc. 16.*

enim eis potestas eadem faciendi qua fecit Christus. Sed aduerte simul & tertium, promissionem videlicet factam effectus secuturi, atque cunctis qui credituri essent in CHRISTVM. Signa, inquit Christus apud Marcum, eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquetur nouis, serpentes tollent: & si mortiferū quid biberint, non eis nocebit. super ægros manus imponent, & bene habebūt. Ecce tertium, promissionem videlicet, quam certè nullum his diebus effectū sortiri dilucidè cernimus. Nemo enim est qui iam aut dæmones corporaliter eiicit, aut sanat morbos: & tamè ambigimus minime quin hodie plurimi sint qui fidè habeant. Quod si nullus iam effectus ex hac promissione sequatur, vbi tam factū quàm iussum Christi præcessit, quam certitudinem habebimus ex illis verbis in quibus non certo promiserit successuris sacerdotibus consecrandi potestatem?

*Promissio  
miraculo-*

Sed dicet forte quispiam: Inanis igitur erit promissio Christi: nequaquam. Non enim voluit Christus promissionem hæc efficaciam habere perpetuam, sed pro tempo-

re nascētis & adolescētis Ecclesiæ. Quod *unus oportet tunc implere*  
tamen ex ipsis Euangeliis haudquaquā di-  
dicimus, sed ex usu & interpretatione pa-  
trum dūtaxat. Cōmuniter enim in ipsis Ec-  
clesiæ primordiis à verè credentibus hæc  
facta sunt ad corroborandā Euāgelij fidē.

At postquā fuerat euāgelica doctrina per *Non semper miraculis opus est.*  
totum orbem vsquequaque diffusa, nihil  
deinceps opus fuit eiusmodi miraculis. Ve-  
runtamen si nudam Euāgelij lectionem  
sequeremur, certū haberemus hodie nemi-  
nem verè credere, nisi qui possit ea ipsa si-  
gna facere, hoc est & eiicere dæmones, &  
sanare morbos, quū Christus tā apertè sit  
pollicitus, q̄ eos qui crediturū forent, hæc  
signa subsequerētur: hoc est, vt per ei⁹ no-  
men dæmones eiicerēt, morbosq; sanarēt.

Quis itaque non ex iis iam planè per- *Conclusio.*  
spicit, maiore v sui & interpretationi scri-  
pturarum nobis concorditer ab ipsis pa-  
tribus relicta, quàm nudis ipsius Euāge-  
lij verbis adhibendam fidem?

Cæterum quid hic Lutherus forte ca- *V.*  
uilletur, nūc prauideamus. Fortasse dicet *Tēpora no-*  
& hodie promissionē istam effectū sorti- *stra non ca-*  
turam, si nō defuerit fides. At velim istud *rent mira-*  
dicat explicatius. Nam deesse fidē, tripha- *culis ob fi-*  
*dei descēsu*

riam intelligi potest. aut p̄ ipsa fidei sub-  
 stantia, hoc est, quum nulla penitus fides in  
 mundo fuerit: aut pro fidei magnitudine,  
 hoc est, quòd non sit tanta fides in quouis  
 homine, quanta sufficiat ad agēda miracu-  
 la, & quā am habuerant illi prisci aut de-  
 niq; pro qualitate fidei, quòd scilicet ob  
 inopiam & defectū fidei viuæ & formatæ  
 res nō succedat. Non est, opinor, dicturus  
 primū, nisi prorsus insaniat, quādo palam  
 est multos credere confiteriq; Christum.  
 Neque secundum asfirmari potest, quum  
 non sit credibile, quin hodie tāta sit fides  
 in vno aliquo totius Ecclesiæ mēbro, quā-  
 ta fuerat tūc in singulis. Nam singulo cui-  
 que credituro promissum erat, q̄ cum illa  
 signa sequerentur. Neq; tertium dici po-  
 terit, nisi quisquam asserere velit Christū  
 frustra fuisse mortuum, quum ob id ille  
 mortem obierit, vt nos fide viueremus.

Cæterum quouiscunque modo fidei  
 acceperit Lutherus, si nequeat ipse mira-  
 cula nobis edere, suo pte iudicio confite-  
 tur sibi deesse fidē, de qua tamen alioqui  
 toties iactitat se certissimū esse quòd eam  
 habeat. Quod si Lutherus ipse tanta fide  
 careat, nihil tamen ambigo quin in tota

prorsus Ecclesia quisquā fuerit, cuius fides æque vera, viua grataq; sit deo, atque fuerat aliquorū fides, qui pridem eiusmodi miracula patrauerant. Nam ad eiectionem dæmonum sufficiebat olim fides non formata, quemadmodum ex euangeliis aperte constat. Multi, inquit Christus, dicent mihi in illa die, Domine domine nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc cōfitebor illis, quia nunquam noui vos. Ecce fides horum haudquaquā viua grataq; fuit, & tamen eiecērunt dæmonia, compluresque alias virtutes patrarunt. Quicquid igitur Lutherus dixerit, idem periculum eueniet, ne quis iam ex pane vinoque carnem & sanguinem Christi cōficiat, sicut ne dæmones eiiciamus, quandoquidē & illud opus magis arduum sit, nimirum ex pane Christū facere, quā eiicere dæmonem. Quamobrē quum illa verba quibus in re minoris momēti Christus adeo dilucidē promiserit effectū subsecuturū, iam frustrari videamus, nec effectum sortiri, multo magis in re maioris pōderis, & vbi nulla promissio facta sit, metus esse

*Ad miraculorum operationē nō requiritur fides formata.*

*Colligit nihil certum ex verbis Euāgelij de consecratione colligi.*

potest, vt ob defectum fidei non eueniat, quod iubebatur duntaxat, non item promittebatur.

**V I.**  
*Hic nonnulli refutantes patrum interpretationes, blasphemant Euangelia esse nudas fabulas.*

Hæc iccirco dixerim, ne quis nudis ipsius Euāgelij verbis pertinacius adhareat, spreta patrum interpretatione, quæ admodū Lutherus facit, vsus & interpretatione à patribus Ecclesiæ traditā nihili pendens, & nuditati verborum insistens, quæ non sufficiunt ad id quod velit conuincendum. Nam vsus quæ patres vnanimiter approbarunt, plerumq; multo certius docet quid sit amplectendum, q̄ ipsa Euāgelij verba, quæ admodū in ipsis opinor exemplis per nos ante productis abūdè patuit. Nam ex priori exēplo dilucidū fuit conuinci minime posse, quod vel apostolorū successores, vel singuli Christiani, vel solidemum sacerdotes cōficere queāt Eucharistiam, & ex pane vinoq; corpus & sanguinem Christi cōsecrare. Nunquā enim hoc Vviclefus ex illis verbis admisisset, neque alius quisquam qui velit nude literæ contentiosius inhærere.

Sed neque ex posteriori exemplo quis effugiet, qui nudum verborū sensum amplectitur, quia aut concedat neminem his

temporibus parē cuius illorum qui fuerant in primitiua ecclesia fidē habere, aut plane iā esse frustratā Christi p̄missionē.

At precipuē Lutherus id subterfugere nequit, quū is tam apertē neget quicquā vel à Paulo, vel ab euangelistis traditum, quod nō ex æquo pertineat ad oēs Christianos. Quod si verum sit, tum ad nos qui iam hac tempestate sumus, æquē spectabit ipsa Christi promissio de miraculis faciendis, atq; ad illos qui primi fuerant in Ecclesia. Quāobrem quū nemo suę fidei iam eiusmodi fructū experiatur vel in se, vel in quouis alio, palā est aut iam nō vigere promissionem illam Christi, aut si vigeat, non extare nunc in vllō homine tantā fidem, quāta passim in singulis olim fuerat Christianis: quod neutiquā est credibile.

Manifestū est igitur id quod ante pol- VII  
liciti sumus ostēdere, nempe q̄ diurnus vsus, & cōcors patrū interpretatio, nemine dissidente, solidiorē præbent certitudinem, quē in modā intelligi debeat obscurus quiuus Euāgelij locus, q̄ ipsa nuda verba, quæ variē possunt à cōtentiosis p̄ suo cuiusq; placito detorqueri. Neq; enim dubito quicquā, quin is qui studia consiliaq;

*Spiritus  
Et instin-  
ctu euange-  
lia recepta  
sunt & in-  
terpretata.*

*Ecclesia nō  
errat circa  
fidem.*

patrū adeo fulciuit ne lapsi fallerentur in discernendis veris Euangeliis, ab iis quæ fuerant cōmentitia: eosdē etiā illustrauerit, ne totam Ecclesiā per eorundē Euangeliorum vsū & interpretationē in tam impios errores abducerēt. Nam quid profuisset Ecclesiæ, verum Euangelium à cōmentitio discreuisse, nisi pariter & ipsius veri Euangelij verus intellectus nobis innotuisset? Quamobrem vt euangeliis patrum vnanimi consensu receptis indubitatam fidē adhibuimus, ita par est vt vsui & interpretationi per eosdem Ecclesiæ concorditer exhibitis, credamus inhaesitater. Neq; minor certitudo nobis esse debet quòd recta sit ipsa Euangelij interpretatio, quæ per patres (nemine dissentiente) vobis tradita est, quàm quòd ipsum euangelium per eosdem nobis exhibitum, pro vero sit habendum Euangelio. Nam & idem vtrobique spiritus, illorum animis vtriusq; suggessit veritatem, hoc est tam Euāgelij, quàm vsus & interpretationis eiusdem. Errare quidem potest vnus aut alter patrum, non diffiteor, homines enim sunt: sed vt omnes insimul aberrēt, atq; adeo turpiter hallucinētur in his que

sunt fidei, neque benignitas spiritus, qui perpetuus Ecclesie cuitos datus est, neque verax Christi promissio de fide nunquam defectura, per tot annorum centenarios passa fuisset. Quamobrem vt per Ecclesiam & Ecclesie patres certò nobis innotuit quodnam sit verū, quòdve sit fictum Euāgelium, ita per eosdem haud minus innotescet, qui sit verus vsus, veraque Euangelij interpretatio: quum eisdem instrumentis, hoc est patrum linguis spiritus ille sacer tam in Euangeliorū discrimine quàm in sensuum interpretatione fuisset vsus. Ego sanè cum Augustino liberè clamo, me nec Euangelio crediturum, nisi quòd Ecclesie patribusque credam. Sed neque aut his aut illi fidem haberem, si non certo fiderem & hos & illam à spiritu gubernari. Spiritus vtrique sic Ecclesiam gubernat, vt eam prorsus vniuersam in rebus fidei necessariis non sinat errori diuturno subiacere. At Ecclesiam spiritus ipse non instruit nisi per linguas patrum. Quamobrem quum ab his edocta sit quodnam præ cæteris euangelium amplecti debeat, ab eisdem identidè & eiusdè interpretatione omnino conuenit obtèperanter accipere.